

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Detractio y
cum fonte primo

Non est ambiguum
omnem humani eloquii sermonem contradictioni obnoxium semper fuisse,
quia dissentientibus uoluntatum motibus dissentiens quoque sit motus animorum,

et contra ueritatem aut non intellectam aut offendentem stulte
uoluntatis error obnititur.

Ylarius in principio libri X. de trinitate.

Non est ambiguum,
omnem humani eloquii sermonem contradictioni obnoxium semper fuisse:
quia dissentientibus uoluntatum motibus dissentiens quoque sit sensus animorum,
cum aduersantium iudiciorum adfectione conpugnans adsertionibus his
quibus offenditur contradicit.
Quamuis enim omne dictum ueri ratione perfectum sit,
tamen dum aliud aliis aut uidetur aut conplacet,
patet ueritatis sermo aduersantium responsioni:
quia contra ueritatem aut non intellectam aut offendentem uel stultae
uel uitiosae
uoluntatis error obnititur.

Hilarius Pictauensis, *De trinitate*, 10.1
(CCSL 62A, P. Smulders ed., p.458, ll.1-10).